QUÆSTIO QVODLIBETICA:

An liceat ſtipendia ſub Principe religione diſcrepante merere.



Excuſum CANTABRIGIÆ.
Ann. Dom. MDCXXX.



An liceat arma tractare sub stipendiis Principis religione discrepantis Tractatus.

NObiles quidam *Itali* qui rei militaris discendæ gratiâ in exercitu Ordinum in *Belgio* merent, proximâ septimanâ sanctâ se coram Confessario quodam *Hagæ* stiterunt, ut peccata confiterentur, & ab ipso absolutionem impetrarent: Verùm Religiosus ille, quem in Patrem spiritualem elegerunt, absolutionem negavit omnibus.

Nihil unquam leve aut parvi æstimandum visum est, ubi religionis & conscientiæ negotium vertitur, sed magni potiùs momenti; præsertim verò ejusmodi censenda sunt, in quibus de remissione offensarum contra Majestatem divinam admissarum agitur, & de consolatione spirituali ex sanctissimis Pœnitentiæ & Eucharistię Sacramentis capienda. Nec dubium quin, si Confessarius injuriâ neget absolutionem ei cui debetur, animarum se Tyrannum constituat, gravissimè divinam Majestatem offendat, authoritate spirituali abutatur, & cùm in proximum tum in sanctam Ecclesiam gravissimè peccet.

Super hac causa responsurus quid juris sit divini & humani, quidq; conforme S. Theologiæ & Canonibus Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, ut ordinatè & perspicuè procedam, actionem Confessarii in absolutione Pœnitentibus negandâ non nisi ab aliquo istorum capitum oriri posse arbitror, aut pluribus conjunctim:

1 Vel à scrupulo quem habebant isti Nobiles commorandi in illa regione ubi militabant; id quod ad Pœnitentem spectat.

2 Vel (quod ad Confessarium pertinet) Quòd is præceptum & mandatum severum acceperat ut ità faceret.

3 Vel quia res ipsa id poscat; quòd, cùm illi Nobiles *Itali* essent, non liceret ipsis in regionibus *Belgii* DD. Ordinibus subjectis habitare.

4 Vel denique quòd, artem militarem factitantes sub signis DD. Ordinum fœderatorum, id facerent contra *Hispaniæ* Regem & Domum *Austriacam*. Nam quo alio fundamento niti potuerit ille Confessarius, mihi quidem in mentem non venit. Et de hisce singulis dicam brevissimè, iis tantùm quę opus sunt adductis juxta Doctrinam Catholicam.

Quod ad primum attinet, in confesso est apud Theologos inprimis, deinde & Canonistas & Casuistas qui dicuntur, mentis errorem circa actiones humanas, quoties de iis sinistrè judicat, quæ *Conscientia erronea* dicitur, obligare. Adeóque si Pœnitentes illi coram Confessario injectam sibi religionem, & tanquam peccatum confessi essent, quòd in illis regionibus consisterent, aut militarent, nec illo scrupulo liberari potuissent, Confessarius ex conscientiæ regulis absolutionem ipsis denegare & poterat, & debebat. Neque enim absolvi potest qui adhuc in peccato perseverat, nec qui, tametsi erroneâ conscientiâ persuasum habet, quòd peccat, & ab eo non vult abstinere.

Sed hoc in nostro casu locum non habet. Nam expresè adjectum est, ipsum Confessarium fuisse, qui Pœnitentibus scrupulum injecit ea de re, quam ipsi nullo modo peccatum existimabant, adeóq; nisi promitterent se ex illis regionibus discessuros, absolutionis consolationem spiritualem negavit. Id quod facilè hoc argumento constare poterat. Nam si Pœnitentium scrupulus fuisset, verisimile non est omnibus eundem futurum, & eodem modo, ità ut omnes absolutionis incapaces fierent. Quòd si etiam omnibus idem scrupulus incidisset, Confessarius aut illum justum, & cui aliquid fundamenti suberat cognovit, aut sine ratione & sine fundamento: Si justum, hoc illud est quod pòst ostendetur fieri non posse; si absq; rationis fundamento, nempe erat ille ex conscientiæ regulis obligatus ipsos instruere, & operam dare,

ut errorem deponerent. Neque fit verisimile, omnes eodem modo tanquam uno cerebro præditos, rationis incapaces fuisse & in erronea conscientia confirmatos, ut eam ob causam omnibus eodem modo absolutionem negare oportuerit. Accedit eò, (quod in alia causa à magno quodam Doctore dictum est) ignorantiam planè asininam, & timorem leporinum futurum fuisse, si omnes illi Nobiles re cum amicis & propinquis diu in patria consultatâ, utrùm ad bellum proficiscerentur nécne, & electâ consultò tam longinquâ regione, tanto cum periculo & impensa (propterea quòd illius disciplinæ Schola sit hoc tempore totius *Europæ*, imò verò totius orbis terrarum præstantissima) omnes (inquam) quasi de compacto annum integrum expectâssent, ad scrupulum conscientiæ adeò tenacem concipiendum, ut eum nè justæ quidem persuasiones Patris spiritualis eximere potuerint cuiquam, & illum ad sanam mentem revocare. Quare hoc quidem caput prorsus exclusum est.

Quod ad secundum; Jamdudum est quòd Curiæ *Romanæ* fautores, quíq; se ad Monarchiam *Hispanicam* promovendam totos dederunt, prætextu religionis ità subtiliter & universè omnibus in rebus abutuntur, nihil ut intentatum relinquant, ubi specioso religionis mantelo (cujus tanta vis est apud homines) sibi commodare possint, rationes suas promovere, & immensis suis cupiditatibus velificari. Unam sibi viam aperuerunt, quam & usu faciunt quàm tritissimam, hanc nempe quam dicam: Ità exposcente boni communis necessitate, justísq; & legitimis rationibus cùm publicæ administrationis & boni regiminis, tum propriæ conservationis introductum est, quod etiam omni jure licet, ut multi Principes Catholici majores & minores, Legatos, Secretarios, & certos homines suos, penes illos Principes & rerum potentes teneant, qui tametsi Christiani, non sunt tamen uniti cum sede Apostolica *Romana*, nec ei nè in spiritualibus quidem eam præstant obedientiam quam ipsa requirit. Quamprimùm igitur intelligunt aliquem designatum esse legatum, statim pervestigant quem Sacerdotem secum ducturus sit, ut sibi in iis regionibus sanctissima Sacramenta ministret. Cognito quis sit, continuò vehementer eum oppugnant, magnis promissionibus & ingenti

præmiorum ſpe oſtensâ, aut (prout homines erunt) minis etiam & terroribus conſcientiæ, cum argumentis ſpecioſis à cultu divino & propagatione Catholicæ Religionis (hæc enim ſemper in præſidio, hæc in excubiis eſt) ut eos ad ipſorum mandata accipienda & ſecretò cum ipſis ſentiendum inducant, nec ab iis ſtipulantur modò, verum & jusjurandum exigunt de ipſorum mandatis accuratè exequendis. Hoc cum omnibus ſine exceptione tentatum, in aliquibus adeò feliciter ipſis ſucceſſit, ut legati pro religioſis, quos credebant ſecum educere qui animæ & familiæ ſuæ curam haberent, comperet rint ſe ſtipendium dare hominibus, qui rationes Curiæ *Romanæ* & *Hiſpanicæ* accuratiſſimè obſervarent, illùc referrent deferréntq; pleraque omnia, & pro eo quòd attendere ad animas ſuæ curæ commiſſas debuerant, Parochi & Plebani facti eſſent alienorum ſubditorum; non ſine magna illorum Principum exacerbatione, quibuſcum legati benevolentiam conſervare &, communis defenſionis gratiâ, augere ſtudent. Hinc adeò enatæ ſunt continuæ illorum Principum querelæ, ab hiſce talibus ſolicitari & contaminari ſubditos ſuos, ſeditiones procurari, defectiones conflari, celebrari conventicula, & concilia illicita; cùm Principes illi certò perſuaſum habeant, de religione minimam eſſe cogitationem, hanc quidem prætextum inſervire, ſed revera illum eſſe finem, ut malè affecti erga præſentem rerum adminiſtrationem conveniant & cognoſcant inter ſe unà cum ſequeſtris, per quos ſecreta conſilia cum externis habent, & ſub hoc operimento tam ſpecioſo contra Rempub. moliri poſſint & machinari. Et habent, ut ſibi videntur, magnas formidandi cauſas, & vehementer ſuſpicandi, quòd ab ejuſmodi coitionibus & integumentis bona pars conjurationum, machinationum, & ſeditionum, principium duxerit. Et, quoties de hiſce rebus ſermo incidit, revocant ſemper ad memoriam conſœderationes in *Gallia*, quęque contra Principum capita paſſim toties tentata ſunt, Pulverariam in *Anglia* conjurationem, *Vallis-Tellinæ* occupationem, & molitiones conſimiles. Et quod ad Capellanos attinet, eſt adhuc in recenti memoria, quòd Legatus quidam, qui credebat ſe comitem ducere Capellanum ſatis eruditum & admodum acutum, antequam Patriâ ſuâ excederet, ſic eum à Miniſtris Curiarum quas ſu-

prà

prà memoravi imbutum & institutum habuit, ut postea in suo munere perfungendo nomen Capellani amiserit, interpretis & *Corycæi Romani* & *Hispani* invenerit. Alius tot mimos hero suo agendos imposuit, ut ipsum legati nomine amisso Archiepiscopi fecerit adipisci; quod & ei in illa Natione unde missus est adhuc hæret. Neque verò conscientiam aut zelum religionis Catholicæ veram hujus studii causam fuisse, satis argumenti creditum est, quod quidam ex his grandem pecuniam donariorum nomine in sacra Æde *Lauretana* offerendam, aut consignatam sibi, aut callidè extortam, pòst in proprios usus converterit. Quódque Confessiones, reconciliationes, & exercitia Religionis in adeò ordinariam & quotidianam amorum conciliationem & deliciarum confœderationes sint conversa, ut nondum etiam sit extincta illius invidia infamiæ. Ex quo illud malum consecutum est & adeò detrimentum ipsi religioni, quòd cùm in ædes & hospitia legatorum satis magnus numerus Catholicorum ex iis regionibus convenire soleret, ut divinis officiis interesset, & sanctissima Sacramenta secundum Ecclesiæ *Romanæ* ritum perciperet, penè obsoleverat sanctum hoc institutum, quod tantum Deo cultum, tantam ipsi legationi dignitatem afferebat.

Hæ corruptelæ eos adegerunt qui ad ejusmodi legationes obeundas designantur, ut animum applicent & accuratè provideant, ut Religiosi ab ipsis assumpti ad id munus ità animo comparati proficiscantur, debita cum modestia se gerendi, ut lineas nè transiliant: Et cultum quidem divinum procurent, & religionis Catholicæ augmentum, sed cum prudentia & moderatione: Quo in genere illustria exempla adferre possem multorum legatorum, qui sine cujusquam offensione, aut ulla causa querimoniæ data, proculdubio religionem Catholicam plus promoverunt modestâ religiosorum cunctatione, & moderatâ temperantiâ, quàm illi *satagentes*, aut (ut *Franci* meliùs) omnem lapidem *removentes*, qui nimio studio plus destruxerunt quàm ædificârunt. Cujus rei indicium est successus consequens, & quidem major indies, quòd sine data querelæ occasione, eadem imò major sit frequentia Catholicorum, qui exercitiis Religionis Catholicæ *Romanæ* interveniunt, cum augmento cultus divini & religionis haud contemnendo,

nendo, qui ſcopus humanarum actionum principalis eſſe debet.

Confeſſorem igitur illum de quo loquimur hoc in mandatis diſertè expreſſum habuiſſe, nè Pœnitentes *Italos* abſolveret qui in illis regionibus commorantur, non abhorret à veriſimilitudine. Siquidem rem tanti momenti, quanti eſt à Sacramentorum participatione prohibere, haud facturus erat religioſus privatus, abſque magna aliunde inſtigatione; præſertim quòd non ſolum à pietate ſed ab omni prudentia abhorreret, cùm in iis regionibus tot artibus aggrediantur, ut unum aliquem (ſi fieri poſſit) à religione Proteſtantium ad Catholicam *Romanam* reducant (cujus illud maximum experimentum eſt ſi ad Sacramenta percipienda adducatur) illos ab eorum participatione prohibere velle, qui ſe ab infantia Catholicos profeſſi ſunt. Sed demus etiam, illum in *Italia* ejuſmodi mandata exequenda non accepiſſe, neque per literas, quod & ſolet, & facilè fit; nihilominus fieri poteſt ut in ipſis *Belgii* regionibus ad id agendum inductus ſit. Nam illud ſine ulla dubitatione conſtat, Nuncium qui *Bruxellis* reſidet omnia quæ ad religionem ſpectant in *Belgio* conſilia moderari, & Miniſtros conſtituere, qui ſub alia ſpecie & perſona illud opus promoveant, quod nos converſionem ad fidem Catholicam appellamus, Proteſtantes ſeditiones contra ſtatum Reipublicæ proſeminare. Nec deſunt Nuncio ſatellites appoſiti & audaces, quales ſunt multi perſonati Jeſuitæ, & alii præter hos Religioſi.

Erat in more poſitum etiam ſeculis præteritis, quod & adhuc obſervatur, ut epiſcopi & præcipuè Pontifices *Romani* expeditiones faciant, miſſis in regiones ab infidelibus poſſeſſas hominibus religioſis, cum authoritate ſpirituali ampliſſima abſolvendi in caſibus reſervatis, diſpenſandi in votis, Indulgentias, & gratias concedendi, & id omne faciendi, quod pro converſione infidelium ad ſanctam fidem Catholicam, aut pro corroboratione & conſolatione fidelium qui adhuc in illis partibus unde religio Chriſtiana ejuſque libera profeſſio ab infidelibus pulſa eſt, neceſſarium erit & opportunum. Solebant *Romani* ut plurimùm temporibus præteritis operâ uti Fratrum Minorum Obſervantium, quibus conceſſa leguntur in variis Conſtitutionibus Pontificiis privilegia ampliſſima: adeò ut etiam Paſtores titulares creati ſint earum regionum,

gionum, ubi tantæ pietatis opus exercebant. Postquam verò aucti sunt Jesuitę (qui, præter quartum votum quod missiones præcipuè tangit, habent in arcanis institutis illud peculiare, quòd habitum deponere possint, & alium qui magìs placuerit induere, & se in milites, mercatores, aulicos, & quamcunque aliam professionem transformare, sectam quoque & religionem quamlibet simulare, *Gentilem, Turcicam, Judaicam*, hæreticam, & quamcunque ad eum finem quem sibi proposuerunt ipsi putant expedire; qua de causa fortassè à Patre *Aio* dictum est, *Jesuita est omnis homo*) missiones ut plurimùm, præsertim in regiones à Protestantibus possessas, Jesuitarum fiunt; cæteris religiosis illæ relictæ sunt in quibus minor est profectûs spes, plùs periculi. Hi se diffundunt in *Anglia*, in *Germania*, & ubique, & hoc quidem tempore magìs quàm unquam antehac, propter novam Congregationem *Romæ* erectam jam nunc multis opibus conspicuam & magna Ministrorum copia, quæ *De propaganda fide* nuncupatur. Jam eorum qui in *Belgium* mittuntur, præter mandata quæ secum *Romà* & à Superioribus attulerunt, quasi moderator est etiam Nuncius Summi Pontificis qui *Bruxellis* residet: unde illius operâ pro certo haberi potest ità cum illo Confessore actum, & illa semina sparsa, è quibus fruges huic similes enascuntur, quod horum Nobilium conscientias ità mirum in modum ex improviso turbaverit. Siquidem ut introductio missionum suprà dictarum habuit ab initio pro origine & causa principali pietatis rationem, zelum religionis, & conversionem ac salutem animarum; ità certum est eam postea plurimùm degeneràsse in affectus & rationes humanas, & ejusmodi expeditiones inserviisse explorandis administrationibus temporalibus, speculandis publicis opibus, regionum factionibus, politiarum defectibus, & quibus modis imperia debilitent, civiles discordias serant, Principes aut exponant contemptui, aut eorum existimationem minuant, milites fortissimos seducant. Tandem devenerunt ad seditiones concitandas, inquietos & præsentibus infestos fovendos, confœderationes contra Principes formandas, conjurationes ordiendas, aliósque consimiles effectus pessimi exempli & existimationis, qui sanctarum illarum missionum officium adeò denigrârunt ut eas emissiones

B hominum

hominum sanguinariorum, proditorum, insidiatorum haberi fecerint, atq; ab adversariis abominandis illis titulis insigniri, quos D. *Paulus* in Epistola ad *Romanos* sub finem primi Capitis in homines mente reprobos accumulat. Catholicos quidem sæpenumero puditum est malitiæ in missionibus istis nuperis adauctæ: ac tametsi fructuum qui ex tam detestandis seminibus nascuntur satis fœcunda fuerit hæc ætas; tamen ex quo tempore bellum contra Protestantes exarsit, multò major copia fuit; ut, in præsentia ardente bello tam horrifico Regis *Hispaniæ* contra D. D. Ordines *Belgii* Confœderatos, mirandum non sit si Nuncii Pontificii *Bruxellensis* Ministri, qui personati in illas Provincias se spargunt, impressionem aliquam faciant solito majorem. Huc respectum aliquem habere oportuit illum Confessorem, atque ex eo quod sibi injunctum videbat, nè quos absolveret, qui Ordines armis defendunt, animadvertere debebat, religionem Catholicam solummodo prætextum esse, cæterùm finem verum esse factionis rationem, quæ cum religione nihil habet commercii: nec eam unquam talibus mediis amplificandam docuerunt antiqui. Sed & illud insuper respicere debebat, se ex authoritate Nuncii aut Deputatorum suorum non pendere, nec illum Ordinarium esse suum, nec ab ipso se authoritatem auscultandi Confessiones accipere; has clandestinas machinationes abominandas esse coram Deo, & zelum esse adulterinum qui religionis pallio passiones & studia humana cooperiat: Nimis etiam absurdum fore, si, cùm Legati & eorum familiæ (ut quidem bonis authoribus placet) Principibus apud quos resident subjecti non sint, sed jure gentium liberi & exempti, solíque naturali Superiori suo suppositi, qui ipsis ad ministranda Sacramenta inservit, leges ab alio accipiat qui sit extra id Dominiũ, & illi ipsi Principi serviat qui bellum ei inferat. Nam cui dubium esse potest quin ei quicquid mali inferre poterit conaturus sit, præsertim verò in labefactanda militum fide qui sub eo merent, velut in causa præsenti se res habet? Tametsi sine horrore nè cogitari quidem potest quàm insignis injuria fiat divinæ Majestati & ipsi Religioni, cùm tanquam *Medusæ* caput pro spectro ad conscientias timidas perterrefaciendas adhibetur, atque (ut res tota uno verbo concludatur)

religi-

religione ad fines prorsus mundanos, fortasse etiam injustos & tyrannicos, hoc est ad Dominia iis auferenda quibus à Deo concessa sunt, abutuntur. Itaque ut hoc Caput absolvamus, iniquum erat, & religioni contrarium, quòd Confessor ille præscriptum secutus sit professi Ordinum illorum inimici, obtentu cæcæ obedientiæ; neque adeò insignitam injuriam D D. illis facere debebat, haud examinato priùs, utrùm causa justa an injusta subesset absolutionem ejusmodi Pœnitenti negandi. Præterquam quòd magnâ ratione & perquam evidenti opus est ad excludendum aliquem à Sacramentorum participatione, quod vinculum est longè gravissimum. Et quod ab *Hieronymo* scriptum est, *Non debent Prælati aliquid sibi de Pharisæorum assumere supercilio, quasi in ipsorum arbitrio positum sit ligare & solvere; sed conscientia Pœnitentis, & causæ meritum spectandum est.* Adeóque ad ultima duo capita res tota deducitur, quæ restant examinanda, quòd in iis cardo negotii versetur,

Ex quibus Tertium est, An Confessor ille causam legitimam habuerit absolutionem negandi, quòd non possint Nobiles illi absque peccato in regionibus *Belgicis* habitare, ut quæ Pontificem *Romanum* pro Capite Ecclesiæ non recognoscant, & recusent illi obedientiam præstare, & propterea quòd non sit ibi publicum exercitium Religionis Catholicæ *Romanæ*.

Hæc ratio superioribus temporibus nullam speciem habuisset; sed potest aliquam dubitationis umbram obtendere, ex quo *Clemens* VIII primus omnium hoc sibi sumpsit, ut in hac materia unum ultrà passum procederet. Siquidem anno MDXCVI Constitutionem edidit, Nè quis *Italus* quacunq; de causa, etiam negotiandi & mercaturæ, se in aliquem locum transferret, ubi non sit Parochus, & Ecclesia publica, in qua sit exercitium religionis ritu *Romano*; nisi obtentâ priùs licentiâ à Sancto officio Inquisitionis, aut loci Ordinario: Obligans etiam eos qui cum ejusmodi licentia proficiscerentur, ut quotannis Inquisitoribus fidem facerent, quòd confessi essent peccata & communicâssent. Hæc fortasse illa causa esse potuit, ob quam Confessor, & ille cui morem gerit, Pœnitentes suos ità duriter tractârit.

Verùm & illud scire debebat, Constitutionem istam Pontifi-

ciam à nullo Principe receptam fuisse, aut in usu positam, imò verò usu contrario exclusam prorsus, perinde ac si nunquam facta fuisset : adeóque in illa locum habere doctrinam Communem Canonistarum, & Juris Civilis Professorum, & Pontificum ipsorum, imò Juris Divini & Naturalis, quòd nempe omnis lex humana positiva (quo in genere ejusmodi Constitutiones Pontificias comprehendi à nemine Catholico Doctore negatur, aut negari potest, nisi quis ex homine Deum facere velit, imò supra Deum) in tantum valet quatenus recepta & in more posita est; quòd si recepta non sit, aut contrarium usu obtineat, omnem obligandi vim amittit, & eodem loco est ac si facta non esset. Quod si secus foret, omnis administratio confunderetur, destrueretur omnis politia, Pontifices non solùm fierent omnium Dominiorũ & Principatuum Domini, omniúmq; causarum judicialium, omniúmq; Tribunalium, sed & cæteris nè cogitandi quidem hisce de rebus facultas relinqueretur. Nam quid est omnino de quo Pontifices jam ab aliquot retro seculis Decreta non fecerint & Constitutiones? Verùm imperando non acquiritur jurisdictio, sed legitimè imperando, si obtemperatio accedat. Itaq; super hac Constitutione tanquam fundamento nihil extrui potest; Constitutione in ipso partu abortivâ, nec antè natâ quàm ejectâ; rejectâ, inquam, ab omnibus, à nullo receptâ, apertè etiam profitente Principum non nemine apud ipsum Papam ejus conditorem, recipi non posse. Neque verò ullam omnino observationem habuit, sed ità perseveratum est ac si facta non fuisset, scientibus Ecclesiasticis, & ipsis Pontificibus, & eo ipso à quo facta est.

Et jure quidem : nam Pontifex ille authoritatem extendit ad illam libertatem restringendam quam Deus & Natura, omnes leges divinæ & humanæ, usúsq; omnium temporum à principio mundi usque 1596um salutis nostræ decursorum fidelibus concesserant. Sciunt qui nôrunt historias sacras, post mundi creationem continuò inter ipsos *Adami* filios factam fuisse Religionis divisionem, cùm alii verum Deum adorarent cultu puro ac legitimo, qualiscunque tandem is fuerit, alii Idola colerent: neq; tamen invenient fidelibus (non de populorum sed hominum singularium separatione loquor, quanquam & illa tanquam casus fuit

fuit soli Deo reservatus) prohibitum fuisse nè in iis locis habitarent ubi essent impuræ aut falsæ religionis sectatores; sed veris Dei cultoribus semper permissum est, ut irent, consisterent, & habitarent ubi magìs commodum esset. Id ipsum continuatum fuisse constat toto illo tempore quo *Hebræi* inter *Gentiles* habitabant, & in civitatibus Idololatrarum ubi visum esset. Et hoc perpetuò duravit in adventum usque Domini Nostri in mundum: quo tempore satìs constat ex Scripturis N. Testamenti veros credentes (qui tunc erant *Hebræi*) per *Asiæ*, *Africæ*, & *Europæ* regiones dispersos fuisse; ex quibus etiam nonnulli erant *Romæ*. Sed & inter *Hebræos* per id tempus erat secta quædam, quæ in Evangelio dicitur *hæresis Sadducæorum*, quæ negabat ullam esse creaturam spiritualem, angelum, aut animam, aut mortuorum resurrectionem; attamen & habitabat cum cæteris, & cum illis alii, neque quisquam sibi sumpsit ut hanc libertatem reprehenderet, aut prohiberet, nè quis proficisci posset aut commorari ubi optimum videretur.

Post promulgationem S. Evangelii mansit inter Christianos hæc eadem libertas per omnia secula, nec unquam usque ad *Clementem* VIII reperietur quenquam contrà ausum esse. Et tamen fuerunt in Ecclesia tot sectæ, divisiones, & hæreses adeò potentes, ut civitates, regiones, regna & imperia integra occupârint (veluti *Ariani* nominatim qui orbem universum occupâsse videbantur) ut ea de causa *Hieronymus* acerbissimè conquestus sit, obstupuisse mundum quòd *Arianus* factus esset. Possederunt isti unà cum Principibus ejus sectæ Imperium Orientale, *Africam*, magnam *Italiæ* partem; neque tamen reperietur unquam existimatum fuisse, auferendam Catholicis libertatem, nè quò proficisci possent, morari, habitare, negotiari, ubi collibuisset. Quòd si quispiam unus eo pacto in discrimen adduci videretur, cum eo seorsim per amicos & alios homines spirituales hortationibus & admonitionibus agebant: interdictis generalibus cum omnibus unius nationis nunquam ausi sunt, nec ejusce rei exemplum reperietur. Extat è contrario D. *Pauli* doctrina Apostolica, Si ex duobus conjugatis unus fidelis fuerit alter infidelis, & hic cohabitare cum fideli consentiat, habitandum cum *1.Cor.7.12.*

 illo

illo, nec ab ejus societate discedendum: Cui Canonistæ hanc regulam superstruxerunt cum illa sola exceptione, Separationem tum demum præcipi, cùm sine Creatoris injuria cohabitari non potest; quæ regula multò magìs nostro proposito inservit. Neq; ad rem faciunt Canones de excommunicato aut hæretico evitando: aliud est enim ab unius commercio abstinere, cui in Ecclesia irrogata sit censura; aliud habitari non posse in illa regione, cujus fides à nostra discrepet. Nam hoc modo quod contra hæreticum in favorem religionis inventum est, in præjudicium cedet libertatis hominis fidelis & Catholici; quem nemo sanus dixerit sine injuria Creatoris in aliis regionibus habitare non posse: alioquin oportebit omnes Catholicos *Angliæ*, *Hyberniæ*, *Scotiæ*, & cæterorum regnorum adigere, ut ex hisce locis discedant.

Et quoniam proficisci aliquò, & alicubi morari, habitare, negotiari, militare, res sunt omnes civiles, non spirituales; si quis de iis posset aut deberet statuere, hoc ad officium Principum Secularium pertineret, in quo Ecclesiastici nihil habent quòd se immisceant, nisi alienam authoritatem ultro sine lege aut Scriptura, imò contra omnem legem & Scripturam usurpare velint.

Quòd si hoc ipso tempore hac libertate gaudent cæteræ omnes orbis Christiani regiones, adeò ut à Pontificibus & Prælatis neque *Hispanis*, neque *Gallis*, nec *Germanis*, aut *Polonis* Catholicis prohibitum sit, quò minùs proficiscantur aut domicilium habeant ubi velint; quid causæ est cur soli *Itali* pejori conditione sint, ut eis hæc servitus imponatur? Nempe aut ad salutem pertinet hæc res, aut contrá. Si non pertinet, quid est quòd Ecclesiastici fálcem immittant in alienam messem? Quòd si salutis negotium est, in eo neque Scripturæ, neque sancti Apostoli ullum unquam discrimen nationis aut gentis cognoverunt. Neq; verò Ecclesiastico in ejusmodi materia decernendi potestas concedetur propterea quòd aliquo etiam modo ad salutem expedire judicabitur: nam ipsi Canonistæ qui Prælato indirectè potestatem dant in temporalibus jubendi, ausi non sunt ulteriùs progredi, nisi quatenus temporalia ad salutem necessariò pertinent; non per convenientiam, aut quò meliùs ad eam perveniri possit. Alioqui enim Ecclesiastici in omnibus omnino rebus leges dare possent:

ſent: nam fieri poteſt ut utile exiſtiment ad ſalutem diverſorum hominum, huic Eccleſias fabricare, alii bona ſua erogare pauperibus, alii uxorem non ducere, alii hoc potiùs modo quàm illo ſe veſtire, alii mercaturam relinquere, Principi alicui magiſtratu ſe abdicare & vitam privatam degere, alii artem quam profitetur relinquere: ità omnium prorſus facultatum, omnium ditionum, (quid plura?) etiam cogitationum domini futuri ſunt. Verùm ſi poteſtas indirecta de iis tantùm intelligatur, quæ ſunt ad ſpiritualem finem neceſſaria, reſtat ut oſtendat is qui authoritatem præcipiendi vendicat, quemadmodum iſta prohibitio *Italis* tantummodo neceſſaria ſit ad ſalutem, non autem cæteris nationibus, & quamobrem hi ſoli ſalutem ſuam operari non poſſint, quamdiu in ejuſmodi regionibus incolunt; aut ſi id ipſis impedimento eſſet ad ſalutem, quonam modo id auferat chartę ſchedula quam pro licentia ſecum ferant. Quòd ſi inſuper in eaſdem Proteſtantium regiones mittunt ipſi Eccleſiaſtici Religioſos, qui alio prætextu occultè Sacramenta iis miniſtrent, qui tametſi ſub Principibus Proteſtantibus vivunt, religione ſunt Catholici; nempe ſentiunt comprobántque, eos ſalutem ſuam licèt indè non diſcedant operari poſſe. Itidem igitur & *Italos*; imò & minori obſtaculo: nam cùm ſint inquilini, licet ipſis etiam publicè in ædibus Legatorum exercitium religionis Catholicæ profiteri. Non poteſt igitur Eccleſiaſtica poteſtas eos ad diſcedendum coarctare, etſi utilius ipſis judicaret in *Italia* vivere. Siquidem, ut jam dictum eſt, ſola neceſſitas etiam ex Canoniſtarum ſententia confert ipſis indirectè in temporalibus pręcipiendi poteſtatem. Alioqui ſi pro religione Catholica melius putarent, ut Papa etiam in temporalibus regna *Franciæ*, *Hiſpaniæ*, & *Germaniæ* poſſideret, præcipere poſſent ut hiſce ipſi cederetur. Ipſum Redemptorem noſtrum videmus res utiles quidem magíſque ad ſalutem conducentes, ſed non neceſſarias, ſub conſilii libertate non præcepti vinculo relinquere voluiſſe. Quantò igitur minùs poterunt Eccleſiaſtici ſine neceſſitate in re temporali præcipere, quod ad ſalutem duntaxat plùs conferat? nedum in hoc negotio, quod cerni non poteſt quomodo plùs conducat, præterquam ad rationes amplitudinis ipſorum temporalis. Verùm

rum hoc discrimen quod in rebus spiritualibus nullo modo locum habet, in quibus D. *Paulus Judæum, Græcum*, aut *Barbarum* non agnoscit, homines acutiores pervestigârunt: observantes Ecclesiasticos ex quo tempore authoritatem suam supra regiones *Ultramontanas* valde diminuerunt, operam dare ut intensivè in *Italia* acquirant quod alibi extensivè amittunt, omnibus ad id artibus, omni studio adhibito, & omnia ad spiritualitatem & religionem revocantes. In quo Principes attento inprimis animo esse oportet, sicuti & fuerunt, non admissâ aut ullo modo receptâ Constitutione supradictâ, quâ non obstante *Itali* Serenissi. Reipublicæ *Venetæ*, Ducibúsque *Sabaudiæ*, & *Toscanæ* subditi, proficiscuntur mercaturæ causâ, aut cujusvis alterius negotii in quascunque regiones. Sunt ex iis in *Anglia*, in *Germania*, in civitatibus quæ Principibus Protestantibus subjectæ sunt, passímque, prout res ipsorum sese dant, invitántque. Ex communi igitur consensu omnium ditionum Catholicarum licitum est in illa libertate perseverare quam Deus & natura concedit, quæque Ecclesiasticorum arbitrio subjecta non est, utpote quæ ad salutem spiritualem non spectat, saltem per connexionem necessitatis.

Sed operæpretium est animadvertere, quanti hoc momenti sit. Est enim Principibus quàm hominibus privatis multo iniquius; quódque hîc tentatur ejusmodi est, unde principium ducatur usurpationis insignis, & in administratione civili haud vulgaris perturbationis. Nam illud pro certo habendum est, quod modò innuimus, Quoties de rebus agitur quæ ad animæ salutem pertinent, in quibus saltem Prælatus Ecclesiasticus authoritatem habet leges condendi & præcipiendi, nullum personarum discrimen constitui posse. Itaque Pontifex etiam *Clemens* VIII in Constitutione prædicta sine ulla personarum aut causarum exceptione vetat universè, nè quis sine licentia ordinariorum Inquisitorum aliquò proficiscatur, ubi non sit publica Ecclesia, & Parochus, & exercitium religionis ritu *Romano*. Per hanc igitur Constitutionem, non poterit Princeps Legatos ordinarios aut extraordinarios mittere in ditiones Principum à Sede *Romana* disjunctorum. Et cùm usu venire possit ut ex ratione & necessitate rectæ administrationis oporteat secretum aliquem hominem mandare alicujus

nego-

negotii causâ, quod Ecclesiasticum scire non conveniat, tamen aut totum ei revelandum erit, aut censuras incurrendum & Inquisitionis reatum. Quæ inconvenientia adeò clara sunt & frequentia, ut usurpationem manifestam ostendant. Essétque valde iniquum si Papa & *Hispanus* possent (quod faciunt quotidie, & extant exempla non ficta sed ex rebus ipsis petita) in Principum ditiones, ubi nulla est publicè Ecclesia aut Parochus *Romanus*, Jesuitas, & alios religiosos etiam ex severioribus mandare, (sive negotii causâ, sive fraudis, aut explorationis, quisque prout animo affectus est pronunciat) cæteris Principibus neminem mandare liceat nisi re cum ipsis communicatâ. Et quoniam in Oriente etiam ubi mercatura est quæstuosissima, vix ullo in loco ubi negotiandum est Ecclesia publica reperitur, non licebit illic sedem figere sine licentia. Certè si Principibus hoc modo in suis negotiis ab aliis pendendum sit, rationésque rectæ administrationis & propriæ defensionis necessitas, aliorum utilitatibus & arbitriis submittendæ; non sunt ampliùs Principes supremi: actúmque est de Majestate, si alii quàm Deo ratio reddenda sit, legésque accipiendæ, quid facere oporteat, quid non facere, ab alio quoquam quàm ab illa divina.

Verùm superat omnem fidem aut charitatem Christianam modus cum istis Nobilibus procedendi. Expectatur ecce tempus quo culparum suarum conscientiâ compunctus vir Nobilis ut cum Deo redeat in gratiam peccata confessurus accedat: & tunc adeò duriter & rigidè tractatur ut (quod intolerandum est) absolutionis consolatione spirituali privetur. Et nolumus porrò ut ab iis qui separati sunt ab Ecclesia *Romana* dicatur, Confessionem adeò à prima institutione degenerâsse, ut facta sit medium non consolandis animabus, sed promovendis rationibus & conatibus temporalibus Curiæ *Romanæ* & *Hispanicæ* contra alios Principes, & explorandis aliorum studiis, subditorum fidei corrumpendæ, instillandis affectibus, augendis factionibus inservire; & ejus generis alia.

Ex iis quæ hactenus dicta sunt mihi quidem certum videtur, satísque probatum, quòd, si Confessor absolutionem Pœnitentibus negaverit ob hanc solam causam quòd in illa regione quæ se-

parata est ab obedientia Pontificis *Romani* consisterent, Pœnitenti injuriam fecit, Confessione abusus est; & si id fecerit jussu alterius cujuscunque, mandatum illud injustum fuit, indebitum, cum alienæ authoritatis usurpatione, & scandalo dato, per abusum authoritatis spiritualis ad fines merè mundanos.

Causa igitur quæ prætendatur non potest esse alia quàm illa quæ quarto loco proposita est: nempe quòd in exercitu D D. Ordinum *Hollandiæ* contra Regem Catholicum ex professo militarent. Id verò in hoc proposito ab altero duorum capitum istorum oriri oportet, vel quia Catholicis ab eorum partibus quos Ecclesia *Romana* pro hæreticis habet prorsus militare non licet; vel quia bellum quod ipsi gerunt injustum est. Et hæc duo capita facilè discutientur.

Quod ad primum attinet; adhibenda est necessariò communis doctrina Jurisconsultorum, quæ nemine contradicente in causa defensionis, auxilii, aut favoris hæreticis præstiti, distinguit. Siquidem duobus modis hæretico favor aut auxilium ferri potest, *Formaliter*, aut *Non-formaliter*. *Formaliter* appellant hæretico favorem & auxilium præstare (ut ipsis verbis utar Jurisconsult. cujusdam, &, quod in ejusmodi materia ad instar mille aliorum testimoniorum est, Jesuitæ) quoties quis favorem præbet aut auxilium hæreticis, aut ob eam causam quoniam hæreticam ejusmodi doctrinam profitentur, aut respectu & ordine ad doctrinam hæreticam, nempe ut eam alios docere possint, aut sustinere. *Non-formaliter* id dicunt, quoties causa quæ movet ad favorem, auxilium, aut defensionem præstandam non est ipsa hæresis, sed amicitia, consanguinitas, gratitudo, naturæ bonitas, inopia, aut auxilii indigentia, aut similia.

Quibus positis, hæc statuunt; leges Canonicas, & Constitutiones Pontificias etiam Bullæ Cœnæ Domini, quæ sunt omnium quas unquam Ecclesiastici excogitare potuerunt severissimæ, primo duntaxat modo intelligendas, quando hæresis aut falsa doctrina pro scopo aut incitamento habetur; non autem secundo. Neque enim talis extensio esse potest legis Pœnalis aut Pontificiæ; alioquin id esset officia humanitatis prohibere, & opera bona, essetque præceptum injustum, tyrannicum, quod nullam

vim

vim ad quenquam obligandum obtineret. Ut applicemus ista ad propositum; Cùm sola & vera causa cur isti Nobiles sub D D. Ordinibus *Hollandiæ* stipendia merent, sit studium disciplinæ militaris sub illo Duce percipiendæ, cui sine controversia omnes nostræ ætatis duces cedunt; nec ullum respectum habuerint ad doctrinam aut religionem quam in illis regionibus homines profitentur: Imò, cùm clarè constet ex eo ipso, quòd se ad Confessionem stiterint tempore à summis Pontificibus constituto, ipsos in religione Catholica *Romana* perseverare, neq; favorem præbent aut militant propter aliquem respectum religionis cum *Romana* non consentientis: Cùm, inquam, clarè constet etiam secundum doctrinam Canonistarum, ipsos Ecclesiastico quicquid possunt attribuere, certè plus quàm ei convenit; nec ullum omnino hac in re peccatum commiserint, nedum piaculum aliquod inexpiandum; non poterat ille Confessor sine manifesta injuria, & sine abusu Confessionis ad fines Politicos & indebitos, absolutionem ipsis negare.

Hoc loco non erit à proposito alienum, duas molitiones ingentes, sed abstrusas, in hoc negotio commemorare. Una est *Hispanorum*, altera *Ecclesiasticorum:* nam ex compacto rem gerunt. *Hispani*, quantum intelligi potest ex literis multorum Equitum *Italorum* qui sub eorum signis contra D D. Ordines militant, habent hoc sibi propositum, ut militare Sacramentum exposcant ab iis quicunque sub ipsis merere volunt, se nunquam contra domum *Austriacam* militaturos; idque ab iis qui honores militares assequuntur apud ipsos exigunt omnino, & sine exceptione. Itaque si hoc alterum caput obtinere poterunt, mediante Confessione, & religionis prætextu, nequis militatum in Protestantium castra proficiscatur; ex eo consequetur neminem fore qui artem militarem ediscere poterit, quin simul juramento *Austriacæ* familiæ obstrictus sit, etiam contra naturalem suum Superiorem. Neq; enim adeò in cunabulis est mundus, ut ex ipso intuitu faciei præsentis *Europæ* prædicere non possit, nullum bellum fieri posse, quod vel à principio non sit inter Catholicos & Protestantes, aut progressu non fiat tale: in præsenti quidē periodo iste rerum status est, Adeóq; cæteri Principes Catholici aut nullum habituri sunt

subditum qui bellum viderit, aut cujus fidem suspectam habere non debeant. Atq; hæc una est inter cæteras gravissima ratio, quæ multis Equitibus *Italis* persuadere possit, ut bellum in *Hollandia* sectentur, cùm inter Catholicos *Romanos* alibi nullum sit.

Altera molitio *Ecclesiasticorum* propria, majoris est adhuc momenti: ad quam non dubium est quin oculos adjiciant, tametsi adhuc eam retegere non audent: sed ab his principiis facilè eam intelligendam exhibent iis, qui cognôrint quibus artibus tantum alienæ potestatis occupaverint sub ementita religionis specie Principum simplicitati imponentes, & apud populos ejusdem religionis viribus tanquam machinæ cujusdam adhibitis. Si privatis hominibus peccatum esset, quod à participatione Sacramentorum excluderet, ab eorum partibus militare qui Pontificibus non obediunt; multò majus id esset in Principibus, qui cum ipsis fœdera defensionis mutuæ sanciunt, pecuniam contribuunt, aut mittunt auxilia militaria. Hoc illud arcanum est, hoc centrum quò istæ lineæ diriguntur. Sed res est nimis ardua adhuc, necdum materia disposita est: fœtus hic est qui maturescit indies, sed parturiendi tempus expectat. In sermonibus quidem aliquid effutiunt, & propter prælorum Typographicorum, quem sibi assumpserunt, dominatum, sententias quasdam à suis scribendas curant; nondum tamen ad decernendum descenderunt, ejusmodi confœderationes & auxilia propter necessitatem propriæ conservationis illicita esse. Sciunt *Hispaniæ* Reges nullius se peccati reos existimare, si pecuniam Reformatis in *Francia* clanculum subministrent, ut ardente in illo regno bello civili, ipsi faciliùs alibi Principes minores opprimant; nec ipsi Nuncii Pontificii ad hæc charitatis officia se ministros & sequestres præbere dedignantur. Sciunt Coronam *Franciæ* jam tot annos fœdera cum *Helvetiis* Protestantibus habere, cum pactis defensionis; item cum alta *Rhætia* Protestante, quibus auxilia dat ordinaria & extraordinaria contra quoscunque, etiam contra Catholicos qui ipsos oppugnent, aut perturbent: quódque veteres habeat confœderationes cum Protestantibus *Germaniæ*, quòd præsidium Reipublicæ *Genevensis* suo stipendio alat, præter donativum annuum viginti quatuor mille coronatorum, ut se ipsam defendere possit;

eamque

cámque defenderit contra *Sabaudum* & *Hispanum* Principes Catholicos, quotiescunque ipsi bellum intulerint. Et ex quo primùm tempore bellum exarsit in *Belgio*, usque ad hodiernum diem, Reges Christianissimi D D. Ordines *Hollandiæ* semper defenderunt, alentes perpetuò stipendiis suis aliquot cohortes peditum, & pecuniæ auxilia extraordinaria suppeditantes. Jam militum *Francorum* qui ad illud bellum proficiscuntur major pars semper ex Catholicis fuit; ordinum ductores Catholici; cujus rei documentum esse potest D. de *Roclaur*, tótque alii duces & antesignani è *Belgio* ad stipendia Serenissimæ Reipublicæ *Venetæ* profecti. Totóque hoc tempore ex omnibus regionibus Catholicorum etiam ex *Italia* ad illud bellum se contulerunt, sine discrimine cui parti visum est accedentes, nec unquam Ecclesiasticus ausus est intercedere. Ex quo communis totius Ecclesiæ sensus elici potest, & nominis Christiani, qui hanc novitatem convincit injustitiæ, & usurpationis, studiíque sub religionis obtentu unius factionis contra aliam promovendæ, quod scandali plenum & pessimi exempli est, atque ut tyrannicum omnium sententiis confossum. Cúmque publicæ conservationis ratio sit inter humanas suprema, imo divina-naturalis, solíque Supremo qui Majestatem tenet commissa, oporteret Ecclesiasticum tandem aliquando vanam illam & ridiculam prætensionem abjicere, quasi salus & defensio populi ad Decreta Juris Canonici exigenda sit, quæ ratio tantò supremæ illi inferior est, quantò jus humanum divino, & positivum naturali. Soli siquidem Supremo unà cum Majestate Deus facultatem dedit pacem, & bellum, fœderáque & societates faciendi, prout necessarium & opportunum judicaverit: nec præter eum quisquam circumstantias ejus quod opportunum est & ex usu cognoscere potest; sicuti corpus regere nihil aliud potest, quàm illa sola anima, quam illi Deus & natura attribuit.

Atque ut manifestiùs appareat hujus incepti iniquitas, ut recentia omittamus, cùm satis notum sit *Sixtum* V, cùm *Hispanorum* consilia perspecta haberet, qui se Protectores religionis Catholicæ ferentes, hoc obtentu ad omnium Potentiorum oppressionem affectant viam, Coronam *Franciæ* ad defensionem Ordinum

Belgii efficaciter instigâsse, eosdémq; sensus (seriùs licèt) habuisse *Clementem* VIII & *Paulum* V; Verùm ut clariùs innotescat novæ doctrinæ falsitas, quam per obliquos istos tramites in praxin deducere tentant, Quòd nempe *Catholicis militibus non liceat in Protestantium gratiam militare*, ut eò perveniant, ídq; obliquè insinuent, *Non licere Principibus Catholicis fœdera sancire, aut iisdem auxilia præbere*, exclusâ sub prætextu religionis ratione recti regiminis, propriæ defensionis, & necessitatis ad sui conservationem, poterat quidem adhiberi inductio exemplorum, omnium temporum, quorum extat memoria in historiis sacris aut profanis; sed ego paucula aliquot adducam ex illustrioribus.

Primum exemplum tantò erit insignius, quòd in sacra Scriptura extet, magni illius Patriarchæ qui à S. *Paulo Pater credentium* appellatur, cujus actiones nemo tam audax erit ut vituperare sustineat, aut ejusmodi existimet quæ in imitationis exemplum non proponantur. De *Abramo* igitur narrant sacræ literæ, quòd, cùm captus esset *Lot* frater ejus à Regibus quibusdam *Syriæ* qui bellum regioni intulerant, nec *Abramo* per se satis esset virium, fœdus inierit cum *Eschole* & *Anero* Principibus Idololatris, pactísque cum ipsis societatis conditionibus, conjunctis viribus prælium commiserit, fratrem liberaverit, victoriam reportârit. Ecce fœdus sancti Patriarchæ cum Principibus non modò diversæ religionis, sed infidelibus & Idololatris. Sequitur deinceps aliud exemplum, Regis secundum cor Dei, & Prophetę qui & ex *Christi* majoribus fuit secundum carnem. *David*, cùm ei à Rege *Saulo* persecutio mota esset, cum tota cohorte sua quæ erat militum ad 600 quibus ipse dux præerat, ad stipendia Regis *Achis* se transtulit, fœdus cum ipso pepigit, habitationis locum ab ipso accepit; imò & in bello contra fideles ipsos ei inservivisse certum est. Nam cum bellum inter Regem *Achis* Idololatram, & *Saulum* qui populo Dei imperabat motum esset, volebat *David* prælio interesse; verùm id Rex non permisit, quòd ipse suíque ejus fidem suspectam haberent, metuerént que nè quando ad manus ventum esset, signa transferret ad suos. Attamen conquestus est *David* quòd ad prælium illud non admitteretur, perinde ac si injuriam accepisset quòd ei fides non haberetur

tur; ex quo certum eſt ipſum animo paratum fuiſſe ad pugnandum pro infidelibus contra veri Dei cultores & veræ religionis profeſſores. Qui ad *Davidis* perſonam animum adverterit, tanti Regis, tanti Prophetę, tam ſancti hominis, dabit certè veritate convictus, licuiſſe id & licere aliis Principibus, cujus in Scriptura adeò illuſtre exemplum habetur; Id autem eſt Ducis cum copiis omnibus fidelibus ejus ductum ſequentibus, qui ſub Rege Idololatra ſtipendia meret contra propriam religionem, ſub falſa nempe contra veram. Certum eſt & illud, eundem *Davidem* poſtquam ad coronam perveniſſet, fœdus feciſſe & conventa ſanxiſſe cum *Naas* Rege *Ammonitarum*, & *Hiram* Rege *Tyri*: neque dici poteſt hoc fuiſſe tempore extremæ neceſſitatis; nam hæc fœdera cum Principibus jam dictis infidelibus & Idololatris icta ſunt, poſtquam *David* regnum *Iſraelis* pacificè poſſedit. Ejus etiam filius *Solomon* & regni ſucceſſor, cum *Ægypti* Rege ſocietate & fœdere conjunctus eſt, quocum etiam affinitatem contraxit, ductâ ipſius filiâ. Sed & *Aſa* Rex *Hieroſolymorum*, de quo teſtatur Scriptura ſacra, quòd perfectum cor habuerit verſus Deum ſicut *David*, *Benhadadum* Regem *Damaſci* contra *Baaſam* Regem *Iſraelis* opem popoſcit; quod erat, cum Rege infideli contra unum ejuſdem ſecum religionis fœdus inire.

Habemus temporibus nativitati Redemptoris noſtri vicinioribus exemplum *Machabaeorum*, qui cum *Romanis* fœdus defenſivum ſanxerunt, cujus conventa in Scriptura divina clara ſunt; cui primùm bellum accidiſſet, de mutuis auxiliis, commeatuum, armorum, navium, pecuniæ, & militum, pro viribus, & prout temporum rationes permitterent. Iidem *Machabai* fœdus etiam cum Republica *Spartanorum* fecerunt, qui in *Peloponneſo* dominabantur, & id ſæpe renovârunt, & multoties confirmârunt. Ex quibus divinæ Scripturæ exemplis comprobatur, licere Principibus fidelibus fœdera jungere, auxilia dare & accipere, ſi propria conſervatio id poſcat, à Principibus infidelibus: & valebit conſequentia à majore ad minus in cauſa præſente. Nam utcunque D D. Ordines *Hollandiæ* non ſint uniti ſub Eccleſiæ *Romanæ* obedientia, ſunt tamen Chriſtiani, non Idololatræ aut infideles; & illud pronunciatum quod Curiæ *Romanæ* adulatores diſſemi-

nare

nare satagunt, *Hæreticos Idololatris esse pejores*, est quidem per-accommodatum rationibus Ecclesiasticorum temporalibus & mundanis, sed non item sacris Scripturis conforme, aut doctrinæ veterum sanctorum Patrum. Horrescit animus vel cogitare, hosce homines id velle, tolerabiliorem & minùs abhorrendum esse qui *Christum* seductorem vocat, aut pseudoprophetam, quàm qui eum invocat ut Deum, & in sanctum ejus nomen baptizatur, & ejus Sacramenta percipit, agnoscítq; solum illud nomen datum esse sub cœlo in quo homines salvos fieri oporteat. Quòd si apud antiquos scriptores legatur aliqua sententia quæ huic opinioni favere videatur, ex eo factum est, quòd illi hæretici Divinitatem *Christi* negabant, totúmque *Christianismi* fundamentum evertebant, erántque potiùs infidelium secta quàm hæretici; nec hujus generis qui Deum ipsum confitentur, & in hac confessione fundamentum salutis agnoscunt. Verùm ut hunc etiam cavillum auferamus è medio, agè videamus exempla fœderum cum ipsis hæreticis, & simul etiam infidelibus.

Sub Imperio *Romano*, cùm Principes fidem *Christianam* & Catholicam *Romanam* profiterentur, plenę sunt exemplis historiæ cùm Ecclesiasticæ, tum cæteræ, Imperatorum & Principum maximorum & pientissimorum, qui fœdera & amicitiam coluerunt cum Principibus infidelibus, & ipsis etiam hæreticis.

Certum est *Constantinum* de Catholica Ecclesia tam bene meritum, pro Imperii defensione conventa cum *Tartaris* & *Vandalis* sanxisse, qui erant Idololatræ: cum hæreticis non poterat, propterea quòd nulli adhuc essent cum dominatu; illis verò locos dedit habitandos in Provinciis Imperii *Romani*. Jam illis temporibus satis notum est quantopere floruerit Ecclesia hominibus sanctis, & zelo puritatis religionis flagrantissimis: nunquam tamen reperietur, quenquam aut factum reprehendisse, aut ejusmodi fœdera illicita docuisse; quod invictum est argumentum approbationis totius Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ. Pòst, cùm creatus esset Imperator *Valentinianus*, qui non solùm Catholicus fuit, sed etiam singularis Ecclesiæ ejúsque Episcoporum & Prælatorum fautor; erat eodem tempore in partibus Orientis Imperator *Valens* ejus frater, hæreticus Arianus, qui Catholicos persequebatur:

quebatur: & tamen inter istos fratres Imperatores, hæreticum unum, alterum Catholicum, unio, confidentia, & confœderatio semper fuit, pro communi defensione, & hostium imperii oppugnatione. *Theodosius*, *Arcadius*, *Honorius*, & *Valentinianus*, Imperatores multas conventiones fecerunt cum *Gothis*, *Alanis*, *Gepidis*, *Vandalis*, *Suevis* & *Francis*, qui partim Idololatræ fuerunt, partim hæretici; neque tamen unquam quisquam inventus est, qui hasce confœderationes tanquam rem illicitam reprehendere auderet, & vivebant illis temporibus magni illi Patres, Doctores zelo ferventissimi, lumina sanctæ Ecclesiæ, qui pro veritatis zelo veriti non sunt Imperatores & Imperatrices defectuum suorum in faciem reprehendere. Vivebant illis temporibus, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Leo*, aliique celeberrimi Pontifices Romani, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Capita sanctæ Ecclesiæ, quorum opera restant adhuc, qui cùm nusquam reperiantur hasce confœderationes reprehendisse, necessariò confitendum est, hoc ipsorum silentium qui tanto cum zelo cæteros Imperatorum errores exagitant, approbationem demonstrare totius Ecclesiæ Catholicæ.

Post mortem Imperatorum quos dixi in *Italia* constitutum est regnum *Gothorum*, quod & diuturnum fuit. Hi Christiani fuerunt, sed *Ariani*, quæ secta fuit hæreticorum, quotquot unquam in Ecclesia fuerunt, pessima; nam personam ipsam *Christi* oppugnabat, cujus negabat Divinitatem, destruebátque articulum qui religionis Christianæ fundamentum est, illum nempe de sanctissima Trinitate: attamen cum istis hæreticis tam perversis, dum in *Italia* regnabant, Imperatores *Constantinopolitani* qui Catholici erant, ut plurimùm pacem coluerunt & fœdera; & ipsi Pontifices *Romani* illis subditi fuerunt, & obedientiam præstiterunt, non nemo etiam ex ipsis Pontificibus Legatus ab iis pro negotiis regni missus est, nec id facere recusârunt. Neque quisquam scriptorum aut Sanctorum illius temporis reperietur illos Principes Catholicos culpâsse, quòd cum istis Regibus hæreticis & tam enormibus erroribus infectis confœderationes tenerent. Infinitum esset omnia hujus generis exempla sigillatim recensere velle.

Postquam in Pontificibus *Romanis* ad dignitatem Pontifici-

 am

am addita est Principis temporalis potestas in *Italia*, ex quo tempore tot leges formârunt quot in Decretalibus, Sexto, Clementinis, & Extravagantibus comprehenduntur, adeò ut nulla sit materia politica de qua extensâ authoritate suâ decreta non interposuerint; non desunt tamen exempla ejusmodi confœderationum, quæ apud Historicos illorum temporum cerni possunt.

Georgius Pogibracchius hæreticus erat *Hussita*: eam opinionem habebat apud Ecclesiam *Romanam*, ob eámque causam à *Pio* II censuris insectatus est (observandum est hoc exemplum, nam certè causam ipsam religionis actam fuisse constabit) Attamen *Fridericus* III Imperator, ann. 1463, cùm in obsidionis periculo esset *Vienna*, illum sibi in subsidium vocavit, pactionibus cum ipso factis de mutuis auxiliis, quæ ab ipso etiam Papa approbatæ sunt, qui proinde destitit ab ipso censuris persequendo. *Julius* II, ann. 1510, cùm *Bononia* in periculo versaretur, propter exercitus *Gallici* vicinitatem *Chiappinum Vitellium* introduxit in civitatem ad auxilium suum, cum sexcentis Equitibus levis armaturæ, & *Turcarum* agmine; quibus & se ipsum plurimùm concredidit. Et ann. 1558 *Paulus* IIII multos *Rhætos* Protestantes ad stipendia sua conduxit, qui & *Romæ* multa fecerunt religioni Catholicæ contraria, quod & Papæ ipsi satìs notum erat: qui tamen apertè profitebatur, Angelos ipsos esse à Deo sibi ad tutelam mandatos, & ad sui defensionem licitum esse quodcunque genus hominum adhibere: extátque documentum fide dignum, ann. 1557 ad 3m *Septembris*, respondisse eum cuidam qui id perstrinxerat, disertis hisce verbis: *Nobis licitum fuisset, imò laudabile, Turcas, Mauros & Judæos, ad defensionem nostram accire*: nec dubium est quin ad tractandum cum *Turcis* mandârit.

Jam hodierno die Domus *Austriaca* cum Principibus Protestantibus *Saxonicis* & aliis confœderationes habet, auxiliáque iis & præbet & accipit. De Regibus Christianissimis adeò manifesta res est, ut verbis non sit opus, eámque suprà attigimus.

Si igitur per historias Scripturæ sacræ licitum est Principibus Catholicis defensionem & auxilium præstare etiam infidelibus,

nedum

nedum Christianis, tametsi Pontificibus *Romanis* non obtemperent; idque re ipsâ faciunt, pecuniâ, militibus, commeatibus, neque id ipsorum pietati derogat aut professioni religionis Catholicæ *Romanæ*; privatis quoque licebit eosdem suo corpore adjuvare & defendere, neque solùm peccatum non erit, verùm opus bonum & laudabile. Et siquidem ii milites ex subditis essent Principis Catholici confœderati, & qui pro communi defensione, & rectæ administrationis causâ, ex pactis fœderis Principibus illis Protestantibus opem ferat, tantò clarior res est propter subditorum cum suo Principe connexionem: cùm lege divinâ subditi obligentur ad Principis sui fines coadjuvare, & quamdiu ad illos se conformant, peccatum certè non committant. Adeóq; Confessor ille gravem injuriam Nobilibus illis fecit, negatâ ipsis absolutione, sed Principi multò majorem intulisset in ejusmodi causa, meritóque castigandus esset, quòd indirectè fœdus initum & auxilia præstita condemnâsset. Quod tametsi per seipsum iniquum & injustum est, cùm id peccatum faciat quod non sit, multò pejus est quòd in confessione tentatum fuerit. Et certè rectæ administrationis regula postularet, non impunè ferri temeritatem aut petulantiam adeò exorbitantem, ut audeat Religiosus unus privatus decreta sui Principis damnare, prudentissimè facta & ex publicæ utilitatis rationibus, quarum homo privatus nè capax quidem esse potest, nedum judex, aut censor.

Sed tametsi absolutio neganda non erat propter habitationem in illis regionibus, aut militiam ad *Hollandorum* defensionem, fortasse negari debuit, quòd injustum sit illud bellum: præsertim ei qui subditus non sit Principis à quo geratur, nec jussus à quoquam, sed suâ sponte id faciat, atque adeò peccati reus sit.

Hoc prostremum est caput, de quo breviter expediemus. Siquidem concordes sunt in eo omnes Doctores, bellum in quo defenditur territorium quod possidetur (atque adeò defensivum) vix dubitari posse quin justum sit. Cùm inter causas quas adferunt utriusque Juris consulti, & Summistæ itidem, ad bellum justum constituendum, semper primum locum habeat sui defendendi necessitas. Qua de re sine longis allegationibus satis erit verbis *Covarruviæ* concludere: *Inter alias causas belli gerendi quæ*

justissima habentur illa est præ cæteris omnibus probatissima, & ad quam referri possunt quotquot allegantur, si fuit pro Reipublicæ defensione, pro defensione proprii Imperii, & Provinciarũ ad id pertinentium: nam ità ad vitæ & facultatum est defensionem. Hæc igitur defensionis causa bellum præcipuè justificat: nam ipsa lex Naturalis ei præstat authoritatem, adeò ut bellum defensivum etiam à privato licitè geri possit. Et tale quòd sit bellum quod gerunt D D. Ordines *Hollandiæ*, nempe defensivum, res ipsa loquitur: nam & invadunt eos Regis *Hispaniæ* exercitus, & ipsi constanter pro sui defensione ad resistendum se comparant: Atque adeò extra controversiam est, bellum defensivum semper justum esse, nisi adsit aliqua ejusmodi circumstantia, qualem vix animus comminisci poterit, per quam injustum reddatur; ut doctrina sit apud Jurisconsultos irrefragabilis, quòd tametsi oppugnatus propriâ culpâ meruerit aut injuriis illatis, ut ei bellum inferatur, tamen ei licitum sit se defendere, & si ob eam causam arma capienda sint & bellum faciendum, illud justum erit: non solùm propter jus Naturale quod concedit vim vi repellere, verumetiam quia seipsum non defendere esset vitam suam, honorem, statúmque alieno arbitrio permittere, & militum maximè, qui quàm immoderatè ferè se gerant in vita, honore, & facultatibus alienis tractandis, rebúsque non minùs sacris quàm profanis, exemplorum atrocitate satis superque notum est. Quinetiam si bellum propter res justè repetendas motum fuerit, defensio tamen justa erit: nam ut inquit Jurisconsultus, *Oppugnans justâ compensatione non erit contentus, neque militum furorem cohibere poterit nè modum superet.* Adeò tanquam oraculum receptum est illud *Livii* dictum, *Bellum eis semper esse justum quibus est necessarium:* piúmque est & religiosum iis arma sumere, quibus nisi in armis nulla spes est reliqua; quod in omni bello defensivo locum habet.

Quòd si quis hinc deducat, fieri igitur posse ut bellum utraq; ex parte justum sit, quod à Casuistis negatur; inprimis id non adeò inconveniens videri debet, cùm iidem ipsi & multò etiam solidiori cum fundamento Theologi & Legistæ doceant bellum ex utraq; parte justum esse posse; ex una *vere*, ex altera *juris præsumptione:*

ſumptione: Nam cùm bellum ſit tanquam lis inter eos qui ſuperiorem non habent, ſicut impoſſibile eſt utramq; partem litigantium juſtam cauſam habere, & tamen poſſunt ambæ juſtam habere cauſam litigandi, quia non conſtat ex qua parte jus ſit donec id Judicis ſententia ſtatuat; & in ejuſmodi cauſa nemo poterit in dubium vocare, quin reo liceat ad forum venire quò trahitur, de Actore tota dubitatio eſt: Ità in bello tanquam in lite quæ inter Principes ſupremos agitatur, utcunque ambæ partes jus in cauſa æquale habere non poſſunt, attamen poſſunt ambæ juſtam ejus faciendi occaſionem habere, propterea quòd dubitetur, ex qua parte fas ſit. Sed illud clarum eſt, eum qui vim propulſat juſtum bellum geſturum; de oppugnante duntaxat erit ampliandum. Atque ut verum dicatur, hoc unum eſt ex iis quæ humanum cerebrum comminiſcitur repugnante licèt ipsâ humanitate, ut de bellis quæ gerunt *Hiſpani* judicium fiat ad eundem modum quo de ſchiſmatis Eccleſiæ *Romanæ*; quæ cùm numero propemodum quinquaginta fuerint, illa pars ſemper obtinuerit quæ juſtiorem cauſam habuit & magìs legitimam; cùm tamen quoties arma moverunt & ipſi ad bellum profecti ſunt, ex quinque quorum exempla legimus in hiſtoriis, *Joanne* nempe X, *Leone* IX, *Pio* II, *Gregorio* VI, *Julio* II, præter primum & ultimum intermedii tres ſuperati ſunt, & duo capti, inter quos unus pro Sancto canonizatus. Sed mirum ni aliter res ſe habeat. *Hiſpani* noſtrâ memoriâ bellum moverunt omnibus populis, omnibus mundi Principibus (ut ità dicam) directè vel indirectè. In utraque *India*, noviſque Orbibus, tot regiones occupârunt, tot liberos populos in ſervitutem redegerunt, dominos ſe vitæ ac bonorum conſtituerunt eorum hominum qui antea hiſce fruebantur. *Angliæ* bellum intulerunt, & *Hiberniæ*, quibus modis ſatìs notum eſt; *Franciæ* etiam, confœderationibus (ut quidem nomen impoſitum eſt) ſanctis, & propriorum ejus regni ſubditorum defectionibus: Principibus *Germaniæ*, mutuatis ut id jure facere viderentur nominibus: In *Italia*, Sereniſſimæ Reipublicæ *Venetæ*, Duci *Sabaudiæ*, olim etiam Eccleſiæ & Papæ, direptâ etiam *Româ*, & Pontifice capto: & apertè profitentur, magnum imperium ſine bello ſtare non poſſe. Itáne juſtitiam ſemper à ſe habent? niſi

fortè ex Gentilium illo pronunciato, quòd Deus faveat potentioribus; & satis erit ad belli justitiam comprobandam quòd ipsi id gerant, tametsi etiam cœlo inferrent?

Sed nimium quantum interest de re aliqua in *Thesi* & in *Hypothesi* verba facere! Veniamus ad hanc ipsam causam, demúsq; pro concesso, non vero, Regem *Hispaniæ* jure (quodcunque tandem id sit) D D. Ordinibus bellum intulisse: tametsi ipsi contrà affirment, ab illo illatam sibi injuriam, subditis corruptis, & Consiliariis, disseminatis inter ipsos seditionibus & schismatis in religione (in quo Jesuitæ & alii Ecclesiastici ministri fuerunt & instigatores) aut violatam ab ipso fidem in omnibus quæ factis induciis juraverat, aut post, cùm tempus opportunum judicaret, injustè arma contra ipsos suscepta. Ex his quid verum sit nolo jam discutere, relinquatur id suo loco: sed dum Rex certus Rempublicam illam oppugnandi apparatus facit, exercitus educit, quæro ab isto Confessore & postulo ut respondeat ex recta animi sui sententia, aut aliorum qui eam informant & intorquent, Quid facerent D D. Ordines? expectarent otiosè inimicorum arbitrium & æquitatem, quippe qui justæ compensationis terminos non essent migraturi; si modò hæc belli causa fuit? Et si Rex *Hispanus* sese illarum Provinciarum Dominum absolutum facere pertenderet, scilicet occupandas illi relinquerent, recederent ab armis, securi vitam sibi tutam fore, pudicitiam fœminis? Fabulæ sunt istæ malè feriatorum hominum, non consilia Principibus suggerenda.

Quòd si de bello movendo ageretur, poterat habere locum, justúmne illud an injustum foret examinare: verùm Reverendus Confessor in Dominio versatur, bello jam tot annos implicato. Quid putat? Séne judicem & arbitrum admittendum, utrùm id bellum ex parte D D. Ordinum justum sit an injustum? Eâ de re sibi tanquam ex tripode sententiam pronunciandam? Enimvero homines cordati valde mirantur, & Principes justam habent causam graviter indignandi, justéque insuper vindicandi in temeritatem & petulantiam quorundam Religiosorum & Confessorum, qui muneris sui lineas transeuntes in Confessionibus Majestatem lædunt, & Principum se judices & censores constituunt.

ſtituunt. Non conſtituit Princeps contributionem aliquam, aut vectigal imponit, quin iſti continuò judices eſſe volunt, ſítne cauſa juſta an injuſta: itidem de confœderationibus, de pace, & bello. Et ferendum eſſet utcunque, ſi modò ſibi duntaxat id facerent; ſed quod plùs refert, fidem ſubditorum in Confeſſionibus contaminant, Principem in malam exiſtimationem & invidiam conjiciunt, publicis adminiſtris conſcientias perturbant, ſenſímque & quaſi ſine ſenſu tantorum malorum authores ſunt, ut hoſtes ipſi Reipublicæ majora ei imprecari non poſſint. Miſeram conditionem adminiſtrationis publicæ, quæ, cùm divina ratio ſit, & naturalis, & libera, nec cuiquam ſubjecta, eorum cenſuris ſubjicienda eſt, qui ejus nè capaces quidem eſſe poſſunt! Et bellica itidem ratio (habita, ſicut eſt, ratio ſuprema) miſera ſit oportet, ſi ſubdenda ſit ejus non dicam rationi, ſed commentitiæ futilíque ſententiæ, qui veras ejus cauſas nullo pacto cognoſcere poteſt. Magna dubitatio homines rerum Politicarum intelligentiſſimos tenuit, utrùm de belli juſtitia judicium omnino fieri poſſit: nam qui ejus juſtitiam conſtituere velit neceſſarium eſt ut legem conſtituat, ad quam exigatur. Verùm hoc modo non erit ratio ſuprema.

Sed omiſſis diſputationibus, illud adeò certum eſt ut à nemine negari poſſit, bonum commune & publicum cuivis privato anteponendum eſſe; & hoc ex illo exigendum: cujus contrarium facere, pernicies eſt Rerumpublicarum & omnium legum divinarum pariter atque humanarum perverſio. Curam verò boni communis Deus Principi ſoli unà cum Majeſtate commiſit. Adeóque in ejus ſolius poteſtate ſitum eſt, præſcribere, quibus modis conſervandum & ſuſtentandum ſit, ſive impoſitionibus vectigalium, ſive bello, ſive confœderationibus, aliiſve mediis: & in hoc, quicunque fuerit, ſive Confeſſor, ſive alius qui ſe judicem conſtituere velit aut cenſorem, Majeſtatem lædit, & contra honorem & reverentiam facit quam natura inſtillat, & Deus in ſacris Scripturis Principi ſuo Vicario, & in adminiſtratione publica locum tenenti, ab omnibus exhibendam præcipit. Itaq; homines pii, & boni Religioſi Principum decreta reverentur, non dijudicant. Et quod ad miſerum illud refugium quo ſe excuſet

quiſ-

quiſpiam, Non ſe judicem agere, ſed bellum aliquod notoriè injuſtum eſſe poſſe; non poteſt ad præſentem cauſam applicari. Primùm quia dici poteſt, *Quo jure eſt notorium? Canonico, an Civili?* Verùm hæc rationi bellicæ inferiora non ſuperiora ſunt. Deinde, *Utrùm notorium eſt ratione boni publici, an privati?* Si *privati*; At hoc ſubjici & bono publico cedere debet. Sin *publici*; Principis eſt illa cura. Denique in bello pro neceſſaria ſui defenſione hæc ſubterfugia locum non habent.

Quod ſi quis dicturus ſit, Juriſconſultos præter *juſtitiam cauſæ* in bello *juſtitiam imperii*, & quidem ante omnia requirere, [*Bellum juſtum juſtitiâ imperii*] hæc quidem impudentia eſſet intoleranda, ut Religioſus unus (ſuſque deque habito, quòd per inducias Ordines ab ipſo *Hiſpaniæ* Rege pro Supremis independentibus & legitimis agniti ſunt) tantum ſibi arrogaret, ut Dominii jura & titulos examinaret, ſéque judicem temporalium Poteſtatum conſtitueret: præſcribente ſacrâ Scripturâ nè ulteriùs progrediamur, quàm ut exiſtimemus Poteſtates quæ præſunt, à Deo ipſo ordinatas. Titulos quidem imperii ſive D. D. Ordinum, ſive aliorum, ſcrutari, vix ipſis Principibus conceſſum eſt; privatis ex ſola poſſeſſione judicium faciendum, cætera Deo permittenda, qui Dominia transfert quibus mediis divinæ ſuæ Providentiæ placuerit. Nam ſi ad conſtituendum, quis juſto aut injuſto titulo dominetur, aliorum opiniones ſequendæ ſint, eorum præſertim quorum intereſt, ad paucos Principes Orbis imperium redigeretur, & jamdudum unicus eſſet *Papa Temporalis*, & unicus *Rex Spiritualis*: niſi potiùs unus tantùm idémq; *Monarcha* & *Spiritualis* & *Temporalis*.

FINIS.
